



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

In hoc sancto exercitio voluntatis affectum iungendum esse cum  
consideratione intellectus. Cap. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

defectum Sic faciebat sanctus ille propheta cum diceret *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio anima. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in precordiis meis de mane vigilabo ad te.* Isa. 26.

*In hoc sancto exercitio voluntatis affectum iungendum esse cum consideratione intellectus.*

## C A P. VII

**I**N hoc sacro, diuinoque exercitio, non solum intellectus occupandus est in contemplanda diuina præsentia, verum etiam voluntas, vt affectu in eam feratur, eamq; quasi complectatur. Et quoniam voluntatis actiones in hoc exercitio principem locum tenent, speciatim declarabimus, cuiusmodi actiones sint, & quomodo exerceri debeant. Nam, vt ait S. Bonauentura, sunt quasi motus, & inflammata cordis desideria, quibus anima anhelat ad perfectam in amore cum Deo vnionem, igniti mentis affectus, viua interioris hominis suspiria, quibus inuocat, prouocat, commouetque diuinam maiestatem; vt se ad consummatam

*In epist. 25. memorab. c. 22. Et myst. theol. via. tertia.*

matam illam amoris sui coniunctionem  
admittere velit: sunt deniq; pia quædam  
incitamenta, & affectiones voluntatis,  
quibus anima nostra velut alis spirituali-  
bus euolat, & attollit se sursum, vt Deo ap-  
propinquet.

Hæc vehementia desideria, affectusque  
ardentes cordis vocantur aspirationes, qui-  
bus anima è terra se attollit in cœlum, hoc  
est, aspirat in Deum: nam, vt idem Bona-  
uentura loquitur, quemadmodum respi-  
rando nulla interueniente deliberatione  
trahimus anhelitum ex intimis corporis  
visceribus: sic celerrimè, & nulla quasi deli-  
beratione antegressa aspirando ad Deum,  
trahimus inflammata quædam desideria  
ex intimis cordis penetralibus, vt Deo in-  
timè coniungamur.

Has aspirationes, vel affectus inflam-  
matus cordis homo imprimis declarat bre-  
uibus oratiunculis, quas vocamus iacula-  
torias: sunt enim quasi tela vel sagittæ igni-  
tæ ex imo pectore profectæ, deinde & suc-  
cinctis quibusdam colloquiis, quas anima  
cum Deo quasi præsentè instituit. Dicun-  
tur autem colloquia, quia sicut anima allo-  
quitur Deum per dicta desideria, sic Deus  
vicissim loquitur cum ipsa anima, radiis  
qui-

quibusdam diuinis illam collustrando, & inspirationes sanctas ei communicando, vt magis magisq; affectus voluntatis incenduntur. Neq; verò homo debet interna illa suspiria, inflammataque desideria vi aliqua intrinsecus vel extrinsecus adhibita concitare, sed potius à diuina gratia, moderata aliquo studio adhibito, expectare: Quamuis enim homo cooperando cum Deo facere debeat, quod in se est, tamen præcipuè pendere debet ab ope diuina. pieq; & humiliter orando impetrare, quod ex parte sua desiderari posset.

Etenim, vt alibi docuimus, in seruito diuino tres sunt viæ, vel tria Exercitiorum genera. Vna est, pertinens ad incipientes, dicta Purgatiua. Altera, ad proficientes, dicta Illuminatiua. Tertia vnitiua, pertinens ad perfectos. Haud secus sunt quedam aspirationes, quæ valent ad purgandam à vitiis affectionibusque terrenis animam, & sunt viæ purgatiuæ. Aliæ valent ad consequendas virtutes, & sunt viæ illuminatiuæ. Aliæ ad impetrandam perfectam vnionem animæ cum Deo, & sunt viæ perfectiuæ. Quæ de causa hoc loco commemorabimus tria aspirationum, & iaculatoriarum orationum genera, ex S. Augustini, aliorumque

Sanctorum libris excerpta, ut vnusquisque  
conuenienter suæ dispositioni ad manum  
habeat orationes, quibus in hoc sancto ex-  
ercitio diuinæ præsentia queat ad Deum,  
aspirare. Neq; idcirco volo, ut his tantum  
utatur, poterit enim uti quibuslibet aliis  
similibus: sed id tantum moneo præstan-  
tiores efficacioresq; eas esse quas quisque à  
Deo motus ex corde suo exprimit, etiamsi  
non sint compositæ, sicut hæ. Nec item  
volo vsurpari omnes, liberum enim cuiq;  
est vsurpare quas velit. Et quamuis non sit  
nisi vna pro qualibet via, tamen, si crebri-  
us magno affectu iteretur, sufficere ad capi-  
endum huius sancti exercitii fructum. Fa-  
cile autem poterunt è memoria recitari, si  
sepius perlegantur & repetantur.

*De aspirationibus, orationibusq; iacula-  
toris attinentibus ad viam Pur-  
gatiuam.*

C A P. VIII.

**A**SPIRATIONES conuenientes viæ  
purgatiuæ sunt hæ. Domine Iesu Chri-  
ste, Deus meus & Saluator meus, qui ad  
saluandos peccatores in mundum, venisti,  
igno.